



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXVI. Ioannis Papae VIII. Ad Adelchisium Episcopum Tridentinum. Arguit eum quod bona Veronensis episcopi inuaserit. eius causam quibusdam episcopis se commisse significat. monet vt eorum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

caritatem Dei in tuo vase diffusam cohabitare permittas: quia nos, quibus de omnibus cura est, Deo iuuante, congruenter illuc properabimus, & inter vos, te potissimum cooperante, pacem & amicitiam reformabimus. Data pridie Idus Martii, indiçtione decimaquarta.

EPISTOLA CCLXVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ADELCHISIVM EPISCOPVM TRIDENTINVM.

Arguit eum quod bona Veronensis episcopi inuaserit. eius causam quibusdam episcopis se commississe significat. monet vt eorum acquiescat sententiæ.

Adelchisio episcopo Tridentino.

SVGGERENTE coepiscopo nostro Adelardo Veronensi episcopo didicimus, sanctitatē tuam aliter egisse quam se canonica, imo Christiana obseruantia habere videtur. Quia scilicet contempto præcedentium patrum iudicio, cui ipse interfuisse dignosceris, res quasdam ad sanctam Veronensem ecclesiam pertinentes inuasisse diceris; & contra manus tuæ subscriptionem te egisse quodammodo suspicaris: in quarum diffinitione, si sedis apostolicæ legati non interessent, speraremus adhuc posse nos aliorum certificari super hoc attestationibus. Sed quia hoc non esse opportunum præuidimus, Ioanni Bononiensi, Egilulfo Mantuano, Eicardo Vicentino, & Viatori Ferrariensi venerabilibus episcopis, ad hoc secundum Deum prouidendum, & quantum ad contemptum inobedientium pertinet, rursus diffiniendum, vicem nostram super hac quæstione commisimus; vt in id ipsum conuenientes, hoc litigium cum sanctitate tua determinent; & irreprehensibiliter, Deo præ oculis habito, diffinire procurent. Quapropter fraterno te amore monemus vt in hoc ita peragas, quatenus a nobis merito reprehendi non possis, & canonicam sententiam non excipias: verumtamen ad locum, quem prædicti venerabiles episcopi tibi significauerint, occurrere non omittas. Et de eisdem rebus Asianæ villæ respondeas, vt ex hoc iam nulla quæstio prorsus remaneat, vel renascatur. Data vt supra.

EPI-